



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Francisci Montmorencii E Societate Iesv Cantica Et Idyllia
Sacra**

Montmorency, François de

Antverpiae, 1638

Sanctissimo Domino Nostro Urbano VIII. Pontifici Maximo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69423)

SANCTISSIMO
DOMINO NOSTRO
VRBANO VIII.
PONTIFICI MAXIMO.

BEATISSIME PATER,



NONNULLA è sacris Lit-
teris Cantica , quibus
me ipsum in hac re-
ligiosâ quiete ad Dei
laudes impensius prouocarem, nu-
meris pridem poëticis illigaue-
ram, minùs tamen accuratè quàm
vt illa aliquando sub tanti Nomi-
nis auspicijs euulgare cogitarem:
cùm ecce mihi præter spem ab Vr-

A 2 be

be nuntiatur, exemplar meum ad manus SANCTITATIS TVAE deuenisse. Casum protinus in consilium verti; & tam singulari benignitate (quando reculis meis aspiciendis Maiestatem Tuam inclinasse dicebaris) opportunè admoneri me sensi, vt Tibi, VRBANE PONTIFEX MAXIME, quidquid hoc libelli foret, ingenuâ grati animi significatione nuncuparem. Quidni enim obnoxium Tibi amorem meum liceat sine reuerentiæ dispendio profiteri?

Ipsè metus Te noster amat. —
 à naturâ quippe factus es totus, vt ameris; à Deo singulariter electus in rerum Arbitrum, vt adoreris: sic humanitate tamen temperas

peras potestatem, vt Te pariter diligamus, pariter suspiciamus vnum virorum, qui ruenti sæculo nostro EFFICACI LENITATE succurre- res, qui restitutas nunc demum Ecclesiæ corpori nobilissimas partes, inspiratâ quaquauersum concordia, Amor ipse & mundi Mens sapientissimè contineres. Iam vasta Germaniæ, iam porrectos Æthiopum tractus, hæresi passim aut schismate abiuratis, mite V R- B A N I VIII. ingenium agnoscere, suaue Romanæ Ecclesiæ iugum induere postliminio lætatur; in spem felicium illorum temporum erecti, quibus vniuersi quondam Occidentis Principes, agente potissimùm V R B A N O II.

A 3 hostem

hostem Christiani nominis communem communibus copijs Oriente toto profligarunt. Ratum faciat (cui proximus es) DEVS votum hoc meum, quod pedibus TVAE SANCTITATIS aduolutus non timidè concipio. Duaci Kalendaris Ianuarijs, M. DC. XXIX.

Deuotus

SANCTITATI TVÆ

FRANCISCVS DE MONTMORENCY
è Societate IESV.

REVDQ